

fit ab omni vitæ turpitudine, licentiaque abhorre, ac rectè, honestè sancteque factis delectari, hanc pietatem quam in sua quenq; vita præstare oportebat, in examinandis aliorum factis præstare magna ex parte volunt. Itaque indagant illi quidem admodū curiosè, quam hic, & ille ducat vitā: quid faciat, quid dicat: quin etiā fortè quid cogiter: quos amet, quos colat, quos minus: neq; vlla tam parua res est, quin ea satis sit idonea propter quam male de fratre sentire incipient.

Quicquid eiusmodi est, ut potuerit tā malum, quam bonum in finem fieri, id aliter quam deteriorem in partem interpretaturi nunquam sint: minus sæpè videlicet se erraturos rati, si semper quod deterius sit, opinati de altero fuerint. Ac si semel aliquando minus commodam quispiam apud eos in opinionem venerit, actum fuerit. Illum enim eodem perpetuò habebunt loco, ac exploratum haberent, ad meliorem eū frugem redire nunquam posse. Quamprimum autem ad eorum aures de vicino quid peruerterit, caue putes fore, ut eum conueniant, amantere moneant, officijque ut meminerit, hortentur: nihil minus; immò verò cum quoquis potius de eo malefico dente egerint, quam cum illo vel vnum verbum fecerint, in vulgus tem extulerint cito: neq; susurrandi finem facient antè, quam aliud aliquod argumentū illis offerat sese ad

Ingenia malorum
Hypocrita-
rum.